



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Praxis Et Brevis Declaratio Viæ Spiritvalis**

**Palma, Luis de la**

**Antverpiae, 1634**

Meditatio de amore Dei, & textus huius Exercitij.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60472)

*Meditatio de amore Dei.*

**A**D maiorem huius quartæ Septimanæ notitiam, hodie institui potest Exercitium de amore Dei, ut in fine quartæ Septimanæ Exercitiorum S. Patris nostri habetur.

Textus Exercitiorum sancti Patris nostri sic habet:

*Contemplatio ad amorem spirituales in nobis excitandum.*

**I**N primis duo notanda sunt. Primum, Quòd amor ipse ab operibus magis quàm à verbis pendet. Secundum, Quòd amor consistit in mutuâ facultatum, rerum & operum communicatione, puta scientiæ, diuitiarum, honoris, & boni cuiuscumque.

ORA-

ORATIO præmittitur ex more.

PRAELVDIVM PRIMVM est, vt coram Domino, Angelis Sanctisq; omnibus mihi propitiis stare me videam.

SECVNDVM, vt gratiam Dei efflagitem, per quam beneficiorum eius in me collatorum magnitudinem perspiciens, ad amorem, cultum & seruitium ipsius totum me impendam.

PVNCTVM PRIMVM sit, reuocare in memoriam beneficia creationis ac redemptionis, dona itidem particularia seu priuata enumerare, & cum intimo affectu perpendere, quantum meâ causâ benignissimus Dominus egerit atque pertulerit; quantum mihi elargitus sit de thesauris suis, quodque, iuxta diuinum suum decretum & beneplacitum, seipsum mihi, quantum potest, donare velit: quibus optimè  
in-

inspectis, vertar ad meipsum, & disquiram mecum quæ meæ sint partes, & quid æquum iustumque sit ut diuinæ offeram & exhibeam Maieitati; haud sanè dubium, quin mea omnia offerre debeam ac meipsum cum summo affectu, & verbis huiusmodi vel similibus: Suscipe Domine uniuersam meam libertatem; accipe memoriam, intellectum atque voluntatem omnem. Quidquid habeo, vel possideo, mihi largitus es; id tibi totum restituo, ac tuæ prorsus voluntati trado gubernandum: amorem tuum solum cum gratiâ tuâ mihi dones, & diues sum satis, nec aliud quidquam ultra posco.

SECUNDVM erit, Speculari Deum in singulis existentem creaturis suis; & elementis quidem dantem, ut sint; plantis verò, ut per  
 vege-

vegetationem quoque viuant ; animalibus insuper, vt sentiant ; hominibus postremò, vt simul etiam intelligant : inter quos accepi & ipse vniuersa hæc beneficia, esse, viuere, sentire ac intelligere ; neque templum quoddam suum efficere voluit, ad imaginem suam & similitudinem creatum. Ex quorum omnium admiratione, reflexus in meipsum, agam vt in primo Puncto, vel melius si quid occurrerit. id quod in Punctis etiam sequentibus erit factitandum.

TERTIVM est, Considerare eundem Deum ac Dominum propter me in creaturis suis operantem & laborantem quodammodò, quatenus dat ipsis, conseruatque id quod sunt, habent, possunt atque agunt. quæ omnia, vt supra, in mei considerationem reflectenda erunt.

QVAR-

**Q**UARTVM, Prospicere quo pacto munera & bona omnia cælitus descendunt, ut sunt potentia, iustitia, bonitas, scientia, & alia qualibet humana perfectio terminis quibusdam certis circumscripta, quæ ab infinito illo totius boni thesauro, sicut lumen à sole, & ex fonte aqua, deriuantur. Addenda superest reflexio prædicta in mei circumspeditionem: colloquium etiam in fine fiet, terminandum cum Pater noster.

### *Declaratio huius Exercitij.*

#### NOTA PRIMA.

**I**Nitio huius contemplationis duæ ponuntur Notæ: quarum prima desumpta est ex Prouerbio Hispanico, Amor in rebus, non verbis consistit; & ex eo quod dicit Apostolus 1. Ioan. 3. *Filioli mei, non diligamus verbo, neque*  
*linguâ,*